Royal Medical Society
presented by
Dr. Barclay



Dissertatio

inauguralis medica,

sistens

Conspectum
MORBI BRIGHTI HISTORICUM,

adnexis casibus 6 in nosocomio generali Prageno observatis,

quam consensu et auctoritate

PERILLUSTRIS, MAGNIFICI AC CELEBERRIMI

DOMINI

Praesidis ac Directoris,

ILLUSTRIS, SPECTABILIS AC CELEBERRIMI

DOMINI DECANI,

NEC NON CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM,

pro

Medicinae Doctoratus laurea

summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite obtinendis,

IN ALMA AC ANTIQUISSIMA CAES. REG. CAROLO-FERDINANDEA UNIVERSITATE PRAGENA

publicae eruditorum disquisitioni submittit

JOANNES ANT. ANGER,

Bohemus Carolothermensis,

medicinae et chirurgiae candidatus.

In adnexas theses disputabitur in magna Aula Carolina MDCCCXL.

PRAGAE 1840.

Typis Thomae Thabor.

Il s'agirait de refaire le sang, si l'on peut ainsi dire; mais ce serait tomber dans l' humorisme? Qu' importe, si les faits nons y conduisent.

Andral.



ILLUSTRI AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

JOSEPHO REISICH,

Medicinae Doctori,

artis obstetriciae Magistro, pathologiae ac therapiae specialis nec non institutionum clinicarum Professori supplenti &c.

VIRO EGREGIO,

SCIENTIA, EXPERIENTIA ET HUMANITATE INSIGNI

in aeternam venerationis tesseram

hasce litterarum primitias sacras esse

vult

ADDICTISSIMUS AUCTOR.

Historia.

Morbus, de quo agitur, etsi tantum paucos abhinc annos ad naturam delineatus, et ab aliis affinibus rite discretus, tamen varia, prout auctores uni alterive symptomati praecipuam ac praeponderantem tribuerunt dignitatem, sortitus est nomina, quorum haec mihi innotuerunt: Morbus Brighti, grannulatio seu affectio granulosa renum, hydrops renalis (Osborne), orrorrhoea, albuminurorrhoea (Piorry), albiminuria (Martin Solon), diabetes albuminosus, nephritis albuminosa (Rayer), hydrops Brighti.

Quae primordiis medicinae de hydrope ejusque causis, sede et natura vigebant opiniones obscurae, sophistarum theorematibus inquinatae, vagae ac falsae fuerunt et ob rationes, cuilibet notas, necessarie esse debuerunt; ast tamen quasdam earum emergentes reprimere non audeo, ut elementa perspiciamus, quibus scientiae de hydrope quaestionis fundamentum exstruebatur. Hippocrates anasarcae originem in jecore et renibus quaerens: Quibus, ait, ab ilibus et lumbis oritur, iis pedes intumescunt et diarrhoeis diuturnis detinentur, quae neque dolores ex ilibus et lumbis obortos solvunt, neque ventrem emolliunt (Progn. Cap. V.) His plane consentanea docet in coacis praenotionibus Cap. XVIII.

Praeter illas hydropis causas sanguinis jacturam et miscelam accusat, nam in praenotionibus (lib. II. Cap. 5): Cui multum sanguinis, dicit, sursum atque deorsum eru-

perit et febris insuper accesserit, eum aqua repletum iri, multa spes est; atque hic hydrops temporis brevissimi es et ex quo paucissimi evadunt" — — in libro de affectionibus: „Quum pituita alba corpus detinuerit, totum corpus tumore albo intumescit; sanguis enim pituitae copia aquosior redditur, neque aeque in eo bonus color inest, propterea candidiores evadunt, morbusque leucophlegmasia vocatur; si curatus fuerit inchoante morbo convalescit; sin minus, in hydropem transit, morbum et hominem perimit. Inter causas excitantes aquam stagnantem et pluviam damnat. Urinas in hydropicis loturae carnium similes spissae bene notavit. Utut effata haec sufficientibus suffulcire non potuisset argumentis divinus senex, certe non est, quod in iis observatorem castum aeque ac acutum non miremur. Mox vero experientiae viam, ab illo tritam spernentes et sophistarum theorematibus capti varia et vaga delirabant, quin vero quidquam scientiae proficui ederent. Sic Erasistratus praeter hepatis obstructionem omnem aliam hydropis negavit causam. Asclepiades tamen eo eminuit, quod hydropem acutum et chronicum distinxerit. Celsus in tres hydropem dispescens species, omnium communem esse humoris abundantiam nimiam putavit. Aretae hydropis imago adeo vivis depingitur coloribus, ut non solum praegressos superaverit, sed etiam futuris exemplo claro perstiterit; multa enim novit signa, antecessoribus plane ignota, bene discernit hydropem symptomaticum. „Si causa hydropis solvatur, bonum;" nec utilem, nec funestum diarrhoeae effectum ignorat, quum: „Quodsi pristinas vires, ait, natura recipiat, et quandoque per ventrem cum impetu materiem deturbet, post multorum crassorumque depulsionem et ipsum hydropem tollere consuevit. Verum id genus auxilii cum periculo est, post enim subitas et copiosas inanitiones, extremosque collapsus perierunt interdum aegri prostratis viribus." Cutis siccitatem sic adno-

stat: „Citra madorem illorum corpus est, id certo neque in balneis sudore madescunt." In anasarca digito premente foveam produci monet, nec id non fieri in ascite existimat. — Galeni scripta circa hydropem fragmentaria esse dolemus; nam multa eaque gravia de hydrope docuisse videtur, quum primus ascitis sedem rite determinaverit, semperque acrem praestiterit adversarium Erasistrati, contra quem docuit, hydropem non semper ex hepatis obstructione oriri, sed crebrius ex morboso sanguinis statu proficisci. En verba ejus circa hanc rem: Humoribus, quos venae continent, in serosam saniem resolutis (*αναςειχωςις*) renes ad excrementum id trahendum nati, serum a venis expurgant. Ubi autem renes trahere non valent, venae ejusdem hoc serum in ventrem mittunt, aut toti corpori id partientes subitaneos hydropis status inducunt. Quae hucusque de hydropis causis atque natura certa exstabant, brevi his Quinti Sereni continentur versibus:

Corrupti jecoris vitio vel splenis acervo
Crescit hydrops: aut cum siccatae febre medullae
Atque avidae fauces gelidum traxere liquorem
Tum lympha intercus vitio gliscente tumescit,
Secernens miseram proprio de viscere pellem.

Caelius Aurelianus plures hydropis causas agnovit et praeter hepatis et lienis etiam uteri et tubi enterici affectiones adduxit, nec renum affectionum oblitus: Alii, ait, renes quoque — principaliter pati dixerunt. Aetius quidem ex refrigeratione et frigida hepatis affectione hydropem prodire existimat, tamen peculiari cachexia individua, ut hydrops oriatur, donata sint, bene notat. Memoratu dignissima sunt verba, quibus hydropem ex vitio organico renum describit: „Quaecunque durities circa renes oboriuntur, dolores quidem non amplius inferunt, aegris autem ex vacuo ventris loco veluti quidpiam pendere videtur, et stupor adest coxendicum et impotentia crurum,

minguntque pauca et reliquo corporis habitu, aqua inter cutem laborantibus maxime similes existunt. Quidam etiam temporis progressu hydropem manifeste incurrunt, veluti etiam ab aliis visceribus induratis contingit. Alexander Trallianus, scientia et ingenio insignis non modo hydropem phlogoses et febres subsequentem et cum affectione pulmonum junctum agnovit, sed et hydropem nonnunquam ex plethora originem petere docet, et huic saepe saepius necessarium duxit, omnem hydropis curam a phlebotomia initiari. — Mox funesta scientiarum sors medicinam quoque tanta obruit caligine, ut saecula sine scientiae fructu transigerentur.

Arabes Graecorum opiniones ut plurimum sequuti, draumaturgiae, uroscopiae, sphygmicae, aliisque vires intendebant. Jahiah Ebn Serapion initiante saeculo nono tamen monet, fidem non esse praestandam medicis docentibus, omnem hydropem calidis debellandum esse, quum permultos esse viderit casus, in quibus hydropes solo refrigerantium usu sanari potuerint. Rzazes praeter miram in hydrope praesagiendi sagacitatem et summam in urinas attentionem, hydropem e renibus suppuratis nasci posse, docet. Avicenna tam ex hepate, quam ex renibus derivat hydropem, aitque, hoc saepe ob calidiorem et frigidiorem temperiem, et ob stases et indurationem humores nec juste allicere nec excernere posse, hepar vero in eo peccare, quod non justum sed aquosum et phlegmaticum paret sanguinem. Urinam ex debilitate et oppilatione renum describit tenuem, subtilem et paucam in quantitate. Conspirare nonnunquam renes jecurque ad provocandum hydropem exprimit: Quando multiplicantur aegritudines in renibus, debilitatur hepar adeo, donec perveniat res ad hydropem."

In hoc ex renibus aborto hydrope oedema a pedibus ascendit, accendunt dein fluxus ventris, affectionem hy-

dropicam non levans, siccitas in corpore, anorexia vomitus et alia. Postea in omnibus Europae ditionibus Galeni effata ruminabantur et sacrosancta dogmata habebantur. Helmontius vero antiquis infensus medicis a solo renum Archaeo, fermento ex causa occasionali inter se concepto oriri docet et adjicit: Ergo verus hydrops est in renibus, sive solvere pertinacem seram renum, est solvere hydropem; Nam Archaeus claudit renes. Bonnetus renum morbo productum hydropem multoties cadavere lustrato vidit. Varius erat morbus renum: mox calculis aut sabulo referti, mox ulceribus admodum peculiaribus obsessi inveniebantur, mox renum putrilago hydropis causam praebuit. Ut vero evictius de hac re doctrinam tradam, aliquot casus, eorumque explicationem, quam Bonetus dedit, allegare juvabit. In viro illo arthritico, qui Baccho multum indulgebat, ascite erecto renes inveniebantur flaccidi, et quod notabile adeo parvi, ut magnitudinem nucis juglandis vix aequarent. Aliis vero organis omnibus normaliter constructis: „Conjicio, ait, arthritidis juxta et ascitae causam in renibus potissimum fuisse, quatenus ob vitiosam constitutionem serosum humorem minus sufficienter attrahere, secernere et excernere valuerunt; urinas enim reddebat paucissimas, etsi quandoque largius biberet magnamque cerevisiae et vini copiam ingurgitasset. — De ulceribus renum dixit: Ulcera renibus peculiaria substantiam renum consumunt, talique pacto hydropi ansam praebent, ut tantum renum involucrum veluti marsupium remaneret. Ast et symptomata morbi renum huic observatori innotuerunt. In morbis renum: Sanguis a sero non separatur, sed simul exit, et urinae sunt instar fortis lixivii, modo serosae, modo sanguine permixtae et perturbatae, hoc insuper notatu dignum, quod serum et materia purulenta in renibus peculiari foetore impraegnentur.“ Ut et illum, qui maxime ad nos spectat, veteribus cognitum scias morbum, relegas Eustachium, qui renum

superficiem varicosam et innumeris tuberculis scatentem persaepe vidit, et casus duos in Boneti sepulchreto descriptos pervolvas, unum pueri psoitide, dein ascite et hydrocele detenti; octo dies ante mortem evanuerat hydrops, secto cadavere renes inveniebantur maximi, pallidi conglobati; — alterum illius Angli, qui diu de lumborum gravitate et dolore conquerebatur; cadaveris lustratio haec docet: Ren sinister admodum durus erat, ac major justo, et substantia interior haud parenchymatis colore sed candidior et concreto puri similis. — Willisius in enodando hydrope, quomodo vasa se habeant, praeprimis attendit creditque, omnem hydropem explicari posse secretione adaucta aut resorptione imminuta, prout nempe extremi vasorum fines aut relaxati aut coarctati essent; adnuit tamen, sanguinis miscelam saepius peccantem ejusque circuitum per varias organorum abdominalium affectiones e. g. indurationes, scirrhos, tubercula impeditum in causa esse posse. Haec opinio, cui mox Lister, Ettmueller, Boerhave aliique adsenserunt, experimentis a Lowero institutis comprobata est, ligatione nimirum venarum rubrarum. Causam anasarcae in vitiata sanguinis crasi quaerens: Ex his sequitur, ait, morbi hujus causam materialem esse humorem aquosum, et efficientem esse sanguinem, qui aquas progignit, inque locis affectis deponit. Medicis Hales et Abraham Kau jam perbene innotuerat, hydropem artificialem aqua in arterias, citius adhuc aqua in venas injecta produci posse. Renum sympathia cum cerebro Willisium non fugiebat, nam in pathologia cerebri (cap. X.) casum narrat, ubi ren dexter cavitatem a calice separatum exhibebat, urinae excernendae cohibebantur; latex in sanguine restagnans capiti noxam graviorem intulit, spasmos violentes excitando. Schroek in viro quinquagenario hydropico, ischuria et doloribus gravativis in lumbo sinistro adfecto, renem invenit triplo majorem semicartilagineum.

Willisius atque Verheyen, chemiae professor, sanguinis serum in urina detegisse volunt, quibus vero acerrime contradicit Boerhavius: Ut de experimenti veritate sibi constaret, centenas urinae libras subjecit examini, neque unquam vidit aliquid, quod coiret in aqua ebullienti. Hydrops ex mente Boerhavii non semper ex turgescentibus vasis lymphaticis (quod false Lowero opprobrio vertit), sed ex aliis causis oritur, scirrhis glandularum, steatomate mesenterii etc. Anasarcam ex fluiditate humorum debilitati cordis juncta derivat, eamque post magnas sanguinis jacturas oriundam ita explicat: Siticulosi maxima aquae copia se impleverunt, sed aqua tenuitate sua ex vasis rubris dilapsa, distagnat in vasa minora, et immota congeritur.

A materia glutinosa spontanea visciditatem sanguinis, pallorem, impermeabilitatem, in vasis obstructiones, concretiones, urinam vix olentem, pallidam (spumosam van Swieten adjicit), tumorem album, impeditas secretiones, defectus subtiliorum etc. deducit.

Observationes ad nos plurimum spectantes singulae obvenerunt, sic Schenk in aegro hydrope enecto, renes lacteo tinctos colore observavit.

Morgagni majori ingenio ac feliciori successu viam observationis a Boneto tritam sequebatur, et innumeris cadaverum lustrationibus causam atque sedem morborum enodare conabatur. Granulosos renes illi obvenisse non dubitamus respicientes locum: Laterales ventriculi non sine aqua intro effusa, ut in thoracis cavo; sic etiam in ventre aqua non defuerat. Ren uterque inaequali erat superficie, et maculis albis hic illic qua subsidebat variegata (epist. XL §. 21.)

Humorem ventre contentum calore sedulo examinandum esse, quum in aliquibus hydropis casibus quam plurimum, in aliis quam minimum coaguletur. Quum de hydropis causis agit, non solum hepar et splenem hydropis auctores

esse dicit, sed „quaecunque pars, imo quaecunque causa diutius potest sanguinis aut lymphae cursum morari, aut humoris, quo caveae corporis madent, praeter modum exitum dein imminuere, morbo huic potest originem praebere.“ Hydropes ruptis renibus aut ureteribus oriundos plures enumerat. Tunicae adnatae et carunculae pallor cacochymiam et sanguinem rubrum deficere, monente Morgagni, significat.

Quamquam Morgagni, splendentem anatomes pathologicae facem medicis praetulerit: subsequuta tamen est periodus abstractionis, qua factorum colligendorum laborem et attentionem observationibus adplicandam aversantes medici, ex nudis hypothesibus aut singulis haud stricte disquisitis symptomatibus regulas generales deduxerunt et omnem scientiam medicam densa hypothesium caligine obruerunt. Ludwig in vasorum atonia, Milman in fibrae organicae relaxatione alii in ruptis vasis lymphaticis causam quaesivere hydropis. Postquam de eximia vasorum lymphaticorum resorbendi facultate doctrina omni dubio erepta esset, nullam aliam hydropis causam agnoscere voluerunt, nisi exhalationem adauctam et resorptionem imminutam, quam hydropis explicationem cuilibet alii opinioni opposuerunt, quum nec comprobari nec refutari posset. Quae hujus opinionis decantabantur modificationes, minoris adhuc valoris erant: Spasmus aut motus retrogradus, obstructio aut distensio vasorum lymphaticorum atque glandularum, quae (distensio) valvulis non aeque distentis humorem relabentem et tali pacto hydropem inducit. Summa tandem hujus hypotheseos pro indicationibus therapeuticis sterilitas medicos coëgit, illa plenarie rejecta aut pro parte solum retenta, aliam hydropis suscipere explicationem; exorta doctrina de hydrogenesi activa et passiva, quae a Riverio inducta, a Tissot, Stoll, quam maxime a Petro Frank, Blackal, Breschet aliisve exculta est.

Lentin de obscuritate, quae anasarcae causas premit, conquestus et symptomaticam hujus mali naturam agnoscens, tres anasarcae species distinguit, primam ex dissoluta materie coagulabili et glutinosa sanguinis, alteram ex perspiratione retenta, tertiam ex irritatione aut inflammatione. Primae speciei ortum explicans, non solum cachexiis, sed et febribus facultatem tribuit, sanguinis elementa praecipue vero materiem coagulabilem dissolvendi ita, ut nec nutritio nec secretio ulla ad normam contingere possit. Huic hydropi squillam, amaricantia, tonica, ferrum, balsama, antiscorbutica, thermasque ferro potentes opponit.

Hanc, ut videtur opinionem sequutus, Sundelin serius hydropem ex laeso reproductionis opere distinxit, cui tamen signum, urinam gelatinae ad instar mingi adjicit (Behrends Vorlesungen, Wassersucht V. S. 70.) Omnia quae hucusque tot tantisque lucubrationibus tot saeculorum evicta fuerant, subito superabuntur lumine, quod anatome pathologica nulli fere morbo tanta claritate sparsit, quanta hydropi.

Quanta tamen inventa sint, non teram tempus omnibus nota repetendo, si adjecero, causas hydropis adeo perspectas esse, ut de hydrope essentiali seu hydrope, cui explicando nos fatemur impares, vix amplius sermo fieri potuerit. Aeque praetermittam alias renum desorganisationes cum hydrope observatas, e. g. scirrhum (Ribes) hydatides (Hufeland), quum in quantum id perspicere licet, affatim notum sit, eas hydropi nexu causali vix jungi. Etsi autorum nonnulli dynamistae opinionibus veterum hypotheticis non valedixerunt; plurimis tamen de veritate doctrinae sensibus et observationibus, ceu empiriae rationali, fidentis persuasum est. Strenuis ac indefessis virorum celeberrimorum laboribus impetratum est, ut dynamicorum morborum classis ad minimum restringeretur numerum, ut hydropis cognomen „organicus" diu adamatum, mox su-

perfluum evasisset. — Quum tali pacto principalis symbola, quam circuitus sanguinis impeditus ad hydropem generandum confert, medicorum attentionem figeret:

Bright, anno 1827 dynamicorum morborum cohortem iterum restrinxit, observationibus innixus, docens, plures hydropes ex peculari renum degeneratione originem ducere simulque urinae magnam albuminis quantitatem continenti certa ratione jungi. Hos hydropes, praeprimis, anasarcam, saepe recidivos, ex refrigerio, erroribus diaeteticis, spirituosorum abusu, perversa vivendi ratione oriri et praeter urinam semper albuminosam, saepe sanguineam doloribus renalibus insigniri adnotat. Quod urinam albuminosam ejusque valorem semioticum attinet, alii auctores praecesserant. Praeter Cotugno, qui urinam calore et acido nitrico in quibusdam hydropis speciebus coagulari, in illis a viscerum affectione pendentibus nequaquam coagulari, observavit, praeter Fordyce, Kruickshank, Darwin et alios adhuc, praeprimis 1811 Blackal hydropes in duas dispescuit classes, quarum una cum urina coagulabili, constante signo hydropis inflammatorii aut imminentis aut formati, conjungitur; altera vero nil tale ostendit. 1812 Wells in hydrope scarlatinam, tunc epidemicam, sequente, duobus solum casibus exceptis, urinas coagulari observavit docetque, cruorem ac serum sanguinis urina contineri; renes sub tali statu morbosos inventos describit, est tamen descriptio vaga et indeterminata. Etiam Alison, animadvertente Gregory, jam anno 1823 in institutionibus clinicis docuit, hydropes cum urina coagulabili et induratione et tuberculosa renum affectione conjungi. His absque dubio non ignotis observationibus insistens R. Bright acri ingenio investigationes extendit ac invenit, quotiescunque sub hydrope occurat urina albuminosa, toties peculiari renes degeneratione detineri, quam granulationem renum nuncupavit. Hujus granulationis tres assignavit varietates, quarum characteres brevi tradam:

I. Varietas: Renes justo flaccidiores, maculis flavescentibus, nonnunquam firmioribus, ut tuberculosum praebeant adspectum, obsidentur; discissi substantiam corticalem flavam, griseam ac sumptibus substantiae medullaris profundius rubentis hypertrophicam ostendunt; hydrops raro occurrit; urina parcam albuminis copiam gerit.

II. Varietas. Renes maculati, friabiles, justo majores, substantiam corticalem textu granuloso conformatam, sabula quasi hinc inde dispersa, materiam non pellucidam interstitiis interjectam, offerunt variisque in superficie prominentiis inaequalibus occupantur; hydrops, saepe alioquin occurrens, abesse potest; urina albuminosa.

III. Varietas. Renes odeo duri, ut cartilaginem scindere crederes, inaequales, asperi; innumeris prominentiis magnitudine capitis acus obsessi, flavo, rubro, purpureo colore tincti, lobis pluribus constare videntur; substantia corticalis superficiem versus protrusa; magna albuminis copia in lotio; hydrops.

Injectio vasorum nullibi contingit.

Ex hac igitur desorganisatione semper pendentem urinam albuminosam dixit Bright. Ast non defueri medici, qui albunem in lotio contineri posse concedentes, judicium ex albumine in urinis contento ad morbum renum depromtum fallax praedicaverint: Greenwoor, Iohnson, Elliotson, Graves, Ilifs, Teevan et alii.

Naturam morbi inflammatoriam ex phlebotomiae utilitate ac haematuria conjicit dicens: That is reason, to believe, that a state of great congestion, perhaps an actual process of slow inflammation exists in various internal organs, and particularly in the Kidneys, where it probably lays the foundation for their future desorganisation. — Huic sententiae consentaneam induxit therapiam. Bostok, chemicus, urinae albuminosae pondus specificum imminu-

tum et albuminis quantitatem in sanguine normalem non adesse invenit.

Illam Brighti de urinae albuminosae, constantis morbi renum signi, valore opinionem observationibus comprobarunt Gregory et Christison, inflammatoriae granulationum indoli et antiphlogoseos utilitati adnuentes, quum in sanguine crustam phlogisticam valde crassam observassent, simulque analysi innixi, uream in sanguine contineri (Young), verum in lotio adeo parca detegi quantitate, ut ne dimidiam normae convenientis partem attigerit, docuerunt. Andral, qui jam ante Bright renum granulationem cum hydrope in opere suo: Clinique medicale (T. III. pag. 567. edit. prima) descripserat, granulosam renum affectionem, cujus naturae indagationem sub praesenti scientiae statu concessam non credit, hypothetice hypertrophiis associat, serius tamen (Cours de pathologie interne) ob adauctum volumen, affluxum sanguinis vividiorem et ob consistentiam imminutam, granulationi phlogosin subesse credidit: „Est inflammatio aut originarie chronica facta, quae ob peculiarem structuram organi aliam induit faciem." Spittal illis a Bright descriptis renum granulationis varietatibus aliam adjecit, quam ceu morbi exordium designavit. Rayer P. morbi naturam enodaturus summam assiduitatem ac acerrimum ingenium impendit, suique laboris fructus partim discipulorum scriptis, partim recentissimo suo opere: De morbis renum publici fecit juris. Oppugnat Tissot opinionem illorum, qui morbum Brighti chronicum semper atque cachexiae junctum existimant, acutamque ex observationibus defendit formam, et granulatione renum ac urina albuminosa praesentibus, hydropem abesse posse monet.

Desir summe necessarium suscepit laborem, investigaturus, an sub aliis et quibus morbis urina albuminosa obveniat? Ex lucubrationibus suis contendit, urinam albuminosam non obvenire, nisi aliqua viarum urinariarum

pars affecta sit. Quod vero granulationem renum attinet, Desir in dissertatione inaugurali sex a Rayer statuta agnoscit stadia, quorum characteres ex recente opere „de morbis renum," desumo et ipsius verbis trado: Characteres morbi Brighti sub vita hi sunt: Notabilis quantitas albuminis in urina cum vel absque materia colorante sanguinis, minor salium ac ureae copia, minusque pondus specificum.

Renum alteratio ad sex principales, sibi invicem probabiliter succedentes, restringi potest formas.

F. I. Renis volumen adauctum, ren in adulto octoduodecim unciarum pondus offere potest, quum pondus normale sit 4 unciarum. Cohaesio substantiae (non durae) est sat magna et fere talis, qualis aqua injecta producitur. Superficies plus minusve laete rubens, punctis magis rubentibus copiosis obsessa. Rene discisso, voluminis augmentum intumescentia substantiae corticalis deberi observatur; haec substantia eadem puncta rubra, copiosa continet, quae in superficie animadvertebantur et secundum meas observationes glomerulis Malpighii, sanguine injecto turgidis respondent. Substantia tubulosa, per corticalem conorum intervalla ingredientem, aequabiliter tumentem compressa, minus profunde rubet, minusque striata, apparet, ac sub statu normali. Membrana mucosa calicum ac pelvis renalis vasculis arborem aemulantibus sanguine turgidis obsidetur.

F. II. Volumen adauctum, cohaesio minor; lobuli magis conspicui, quam ex norma, nota hujus formae characteristica est superficies ex albo flavicans, maculis rubentibus obsessa ita, ut anhaemiae et hyperhaemiae adspectus commixtus appareat. Ren discissus substantiam corticalem tumentem, pallide flavicantem, maculis rubris obsessam et a substantia tubulosa profundo rubore tincta probe distinctam ostendit.

F. III. Volumen et pondus idem ac sub I. et II. maculis rubris absentibus aspectus marmoreus desideratur; substantia corticalis in superficie aeque ac interne aequabili pallide roseo aut pallidiore adhuc tingitur colore, ita, ut anguillae carnibus similis evaderet. In quibusdam renis anhaemici plagis observantur vascula sanguine turgida, rarius maculae reticulatae, bruneae, aut magnae granulationes albae lympha plastica aliquando deposita productae aut impressiones; papillae renales rubrae, induratae, et levis incrassatio membranae mucosae calicum et pelvis renalis, quorum vasa nonnunquam sanguine turgent.

F. IV. a Bright nomine granulationis designabatur. Voluminis et ponderis augmentum, superficies externa ex flavo albescens hinc illinc obsidetur aut plenarie tegitur parvis maculis coloris lactei, flavicantis, magnitudinem capituli acus minimae, aequantibus in superficie, copiosioribus et luculentioribus in fine utroque renis velatis membranula tenui et vernice quasi obductis, superficies tamen renum perfecte glabra. Quae maculae (granulationes Brighti) intercus in tota substantia corticali inveniuntur.*) Rene, a margine gibbo hilum versus discisso, substantia corticalis (ut in II. et III. colore flavicante anhaemico tingitur, quum contra substantia tubulosa profunde rubro gaudeat colore et (substantia cortic) tumida majus occupat spatium, praecipue ibi, ubi intra conos renales immittitur. Granulationes in superficie luculenter a se invicem separatae, plus minusve rotundae, mox sub forma linearum, irregularium, floccosarum apparent, quae ex striis divergentibus conorum egredi videntur, quod tunc pulchre videre est, si culter discindens directionem substantiae tubulosae striarum bene secutus est; praecipue in renis peripheria et ad

---

*) Andral unicum observavit casum, in quo granulationes in substantia tabu[illegible] [illegible]rrebant.

basim conorum, ubi granulosa affectio generatim major adparet. Nonnunquam granulorum, in superficie uberrimorum, intercus parum aut nihil conspicitur; aliâs vere granulatio totam substantiam corticalem occupat ad prolongationes usque intra conos immissas ita, ut fibrae substantiae tubulosae dispersae, repressae conspiciantur. Ren granulosus, si per aliquod tempus aquae immergitur, granula luculentiora evadunt, eorumque color albidus facilius ab illo substantiae corticalis distinguitur.

F. V. reliquis rarior, volumen et pondus adauctum, lobi magis conspicui Hujus descriptioni nil addere valeo, si dixero, totam renum superficiem granulis glaream farinosam aequantibus esse obsitam, quae a granulis sabulosis flavis, in substantia corticali obvenientibus facile distinguuntur, aeque ac granulis ex lympha plastica in hac nephritidis specie fortuito provenientibus.

F. VI. tertiae Brighti varietati respondere videtur, volumen normali saepe minus; renes duri, in superficie verrucosas eminentias gerunt, granulationes pareae aut nullae in superficie inveniuntur, intercus fere nunquam desunt in substantia corticali.

Quoad morbi tam sedulo indagati naturam, nec Tissot et Desir, nec Rayer diu hesitant, inflammatoriam declarare, novumque nephritidis albuminosae cudere nomen. Argumentis pro hac opinione jam prius allatis haec adjecta sunt: Volumen ultra normam adauctum, anhaemia cum et absque maculis rubris (similitudo cum aliis nephritidis speciebus) dolor renalis et frequentia phlogosium convenientium.

Sabatier, aliorum observationes comprobans, monet, granulationes renum non esse unicam urinae albuminosae causam, et saepe sufficere renum flacciditatem ac substantiae corticalis hypertrophiam: oppugnat tamen opinionem a Christison et Tissot prolatam, serum sanguinis qua tale

urinam ingredi, quum albuminis non vero seri copia in sanguine decrescat. Causam esse vitalem, persuasum sibi habet, quum alia mechanica e. g. circuitus sanguinis in venis impeditus detegi non posset.

Hydropem ex sanguine ob albuminis jacturam magis tenui reddito et hinc facile in textum cellulosum transmittendo explicat. Osborne acer prius Brighto adversarius factorum vi ad illius opinionem sese compulsum dicit, propriisque observationibus eam comprobat. Frequentissimam morbi causam transpirationis cutaneae suppressionem adeoque grave putat symptoma cutis siccitatem, ut illam nomine, anhydrosis, insigniat, eidemque opinioni innitens generosum diaphoreticorum usum commendet. Thomson et Constant Brighti opinioni, renum granulationem aetate solum florente obvenire contradicunt, quum infantes correptos vidissent, simulque docent, urinam albuminosam hydropi saepe saepius praecedere, urinam vero albuminosam plane accidentalem esse contendit.

Mateer renum granulationem parenchymatis inflammatione ac albuminis in textu cellulari depositione nasci contendit. Gluge, quum prolatas hucusque de morbi Brighti natura opiniones hypotheticas declarat, inflammationem non ex vasculorum majori copia, sed ex diversitate secretionum phlogose productarum cognosci censet: globulos inflammatorios compositos in substantia corticali ac nonnunquam parcos globulos purulentos ibi et parciores adhuc in substantia medullari inveniens, indolem morbi phlogisticam luce clarius demonstratam credit, inde Brighti granulationes globulorum agglomeratione illi natae videntur. En ejus vix minus hypotheticam ac aliorum opinionem: Globuli sanguinei involucro deperdito, agglomerati densam globorum acervam formant, qua vascula sanguinea obliterantur. Serum cum principio colorante soluto in canaliculos uriniferos transmittitur — sic anhaemia substantiae

corticalis et urina nascitur albuminosa. Eadem globulorum agglomeratione urinae secretio cohibetur, humor urinae secretioni impendendus alio loco alii fini impenditur; inde prodeunt urina parca, urinae praesentia in sanguine et humorum, alias renibus excernendorum, in aliis organis effusio (hydrops). Granulatio renum in glomerulis Malpighii incipit, et abhinc ad vascula sanguinea eo intrantia extenditur; in illis glomerulis nec fluidus nec coagulatus observatur sanguis, sed corpora rotunda, obscura vasorum Malpighii glomerulos formantium caveas implentia observantur ita tamen, ut hinc illinc pellucida interstitia maneant. Eadem substantia obstructa conspiciuntur vascula in glomerulos Malpighii intrantia. Haec sub quolibet morbi Brighti stadio observantur; ultimo tandem lymphae plasticae in tubulos uriniferos exsudatio contigisse observantur. Urina microscopii ope investigata continet 1) Principium colorans sanguinis solutum. 2) Globulos purulentos. 3) Globos inflammatorios compositos raro obvenientes; quum, ut evacuentur, justo majores sint, quod ruptis tantum vasis contingere posset. 4) Globulos sanguineis minores, pellucidos, forsan fragmenta globulorum inflammatoriorum compositorum. 5) Sedimentum albumine sponte praecipitato et pure constans.

Ex his anatomicis argumentis, pathologicis non neglectis, concludit:

1. Granulatio renum in inflammatione organi urinam parantis seu substantiae corticalis consistit a glomerulis Malpighii prodeunte.

2. Omnis turba ex impedito sanguinis circuitu nascitur, globuli enim sanguinei involucro deperdito agglomerantur, vasa obstruunt, et tali pacto circuitum sanguinis tollunt.

3. Ubi sub hydrope per longius tempus urina albuminosa observatur: ad renum granulationem concludere fas est.

I. Stadio primo antiphlogosis sola methodus rationalis, ulterioribus stadiis remedia nec innotuerunt, nec a priori assignari valent, quamquam et tunc plenaria sanitatis restitutio non raro intrat. Henle (Hufeland's Journal 1838 Mai) illos a Gluge observatos globos inflammatorios cellulas primarias amplificatas ac granulosa materie impletas esse censet, et solius indagationis microscopicae respectu habito, granulationem renum ceu tuberculorum infiltrationem considerari posse contendit, quamquam adhuc ad hanc sententiam confirmandam microscopium nihilum sufficere fateatur.

Novissimo tandem tempore Graves, Dublinensis, Brighti adversarius (London medical gazette Octob. 1838. Frorieps Neue Notizen 1839. N. 187. p. 176.) contendit, granulationem renum urinae albuminosae esse effectum nequaquam vero causam. Quum morbo Brighti in omnibus corporis partibus conspicuus in fluidorum, albumine scatentium secretionem nisus observetur, idem in renibus contingere, non est, quod miremur. Quum vero sub urinae secretione varii simul sales atque acida efformentur: facili modo humoris albumine scatentis coagulatio accedit et depositio, qua tubuli secernentes sensim implentur, extenduntur ac obstruuntur. Hanc cel. Graves opinionem illa prius jam instituta microscopica investigatio Valentini (Valentin's Repertorium. Bd. II. H. 2. p. 290.) comprobat ac suffulcit. Puer tredecim annorum hydrope anasarca, dein ascite, postea hydrothorace accedente affectus periit. Minxerat urinam albumine scatentem. Investigatio renum microscopica ostendit, canaliculis substantiae medullaris rectis, aut vacuis aut parcissimo fluido impletis, canaliculos substantiae corticalis sinuosos materie flavicante fere totos quantos impletos, quasi injectos visui patentes evasisse. Tenue renis stratum lucis radiis expositum, pulcherrimam canaliculorum sinuosorum

injectorum congeriem praebebat. Eorundem diameter in substantia corticali 0,003500 poll. Paris., in substantia medullari 0,005400 poll. Paris. aequabat. In canaliculorum parietibus aeque ac in materie canaliculis interjecta prorsus nil abnormis observabatur. Ren unus summa attentione injiciebatur, ast nec diameter, nec distributio vasculorum sanguineorum quidquam abnormis ostendebat. Materia sinuosos substantiae corticalis canaliculos uriniferos implens, grisea, irregularibus granulosis frustulis variae magnitudinis, parvis corpusculis molecularibus ac globulis flavis sphaericis constabat. Eadem elementa, utut multo parciora, in humore canaliculis substantiae medullaris rectis contento, animadvertebantur. Quae, ni admodum fallor, renum lustratio demonstrat, renes sub his rerum adjunctis nil nisi urinae receptacula esse, ac proinde oculo nudo morbosos apparere; morbosum contra secretionis processum ipsum alibi et quam proxime in sanguine quaerendum esse. Hanc, etsi argumentis sufficientibus non suffulcitam opinionem Roesch (Krankheiten des Blutes pag. 469) effatus est.

Hecht opiniones a Gluge et Valentin editas invicem discrepantes soluturus investigationes praeprimis microscopicas suscepit, atque hanc circa renum granulationis naturam protulit sententiam: „Renum granulatio consistit in abnormi adipis congerie, quae ab initio textum cellulosum tubulos uriniferos nectentem legit, mox vero etiam tubulos ipsos invadit. Inflammatio nonnisi in quibusdam plagulis et modo accidentali solum obvenit. Tota itaque renum degeneratio haud absimilis videtur hepatis cirrhosi.“

Haec fere sunt ad historiam spectantia, multa caeterum memoratum dignissima et momentosissima, imprimis a Rayer, Christison aliisque prolata specialiora cum statu, ad quem scientia de hoc morbo perducta est tam arcte et essentiali nectuntur vinculo, ut hic proferre non potuissem, sed monographo relingui debuissent.

Litteratura.

Bright R. Reports of medical cases selected with a view of illustrating the symptoms and cure of deseases by a reference to morbid anatomy. Vol. I. 1827 Vol. II. 1831.

— Guy hospital reports I. 1836.

Osborne J. On dropsies connected with suppressed perspiration and coagulable lymphe. Dublin Journal of medical and chemical science January 1834.

Rayer P. Etal actual des connaissances sur la maladie de Bright. etc.

Gazette medicale Vol. IV. 1836.

Tissot M. De l'hydropisie causée par l'affection granuleuse des reins.

Diss. inaug. Paris. 1833.

Sabatier. Considerations et observations sur l'hydropisie symptomatique d' une lesion speciale des reins. Archiv gener. Juillet 1834 (Schmidt's Jahrbücher B. V. H. 2.)

Desir. De la presence de l' albumine dans l' urine considerée comme phenoméne et comme signe dans les maladies. Paris 1835. Diss. inaug.

Gregory. On deseased states of the Kidney connected during life with albuminous urine. October 1831. Edinbourgh medical Journal.

Christison. Edinburgh medical Journal 1829 October. Observations on the variety of dropsy which depends on deseased Kidney.

Valentin. Repertorium für Anatomie und Physiologie II. 2.

Gluge. Anatomisch - mikroskopische Untersuchung zur allgemeinen und speziellen Pathologie. Minden 1838 1 Heft.

— Caspers Wochenschrift 1836 N. 44. u. 1838 N. 5. p. 65.

Larpent. Uiber den Morbus Brighti. Aus dem Dänischen übersetzt und mit Zusätzen mitgetheilt von Nevermann. Hufelands Journal 1836 September.

Constans. Gazette medicale 1834.

Thomson. Gazette medicale 1833.

Spittal. Dissertatio de quodam vitio, quod urinae mutatio particularis comitatur. Edinb. 1832.

Hergt. Heidelberger Annalen. I. 3.

Kleeberg. Medizinische Centralzeitung VII. H. 44 St. p. 861. Frorieps Notizen VIII. p. 94.

Rayer P. Maladies des reins 1840 T. II. pag. 97 et 55.

B. Graves. London medical Gazette. Octobre 1838.

B. Graves. London medical Gazette. Februar 1831.

Mateer. On the coagulability of the urine as a diagnostic and therapeutic sign of dropsies. Edinburgh medical and surgical journal 1837. Jannuary. Hufelands Journal 1837 XII.

Hecht. De renibus in morbo Brighti degeneratis. Diss. inaugur. Berol. 1839.

— Caspers Wochenschrift 1839 N. 33. p. 529 etss.

Monnasot. Etude sur la granulation des reins 1835.

M. Solon. Dictionnaire de medicine et chirurgie pratique: Urine p. 489. 1836.

Levret. Dictionaire de medicine: Hydropisie.

Forget. Lettre adressee à M. Rayer sur l'albuminurie Gazette medicale de Paris. Septembre 1837.

M. Solon. De l'albuminurie ou hydropisie causée par maladie des reins. Paris 1838.

G. Hamilton. On the epidemic scarlatina and dropsical affection as it prevailed epidemically in 1832 Edinb. Med. and Surg. Journal January 1833.

J. Anderson. Observation on renal dropsy. Lond. med. Gazette XV. 1835.

J. Stark. On scarlatet fever as it prevailed epidemically in Edinburgh in 1835 — 6. Edinb. med. and surg. Jour. October 1836.

R. Christison. On granular degeneration of the Kidnies etc. Edinb. 1839.

F. Jansen. Dissert. De morbo Brighti. Berolini 1837.

Scheimann. Dissert. De hydrope albuminoso 1837.

Dropsy. Analecta de morbo Brighti. Berolini 1839.

Seymour. The nature and treatment of dropsy considered especially in reference to the deseases of internal organs of the body which most commonly produce it. London 1837.

Observatio I.

Morbus Brighti primarius chronicus. Anasarca, urina albuminosa, Pleuritis, Convaulit.

Czmeyrek Wenceslaus, mercenarius 55 annorum, habitus robusti, sedecim annos miles bellis interfuit. Victu regno animali maxima ex parte depromto, utebatur, cerevisiae et vino affatim indulsit. Ex duodecim circiter annis in fabrica panno gossypino conficiendo dicata varia explet munera; modo lavando pannum gossypinum: modo portando occupatur, mox exponitur vaporibus Chlori, mox acidi nitrosi, nunc in conclavi tepefacto vaporibus aquosis circumdatur, nunc ad alia sub Jove perficienda mittitur officia. Prospera tamen semper gavisus est valetudine. Quando morbus praesens exortus sit, aeger assignare nequit.

Die 29. Octobris 1838 vestes induens extremitates inferiores ad malleolos intumentes observavit. Muneribus suetis fungebatur; quum vero altero die tumor extremitatum increvisset, ingressusque quidpiam impediretur, in lectum se contulit. Tumore increscente die 9. Novembris nausea, vomituritiones et dolores in epigastrio prementes exoriebantur. Cucurbitis cruentis adhibitis notata evanuerunt symptomata. Die 13. Novembris dolores in epigastrio reversi per hypochondrium dextrum ad regionem lumbalem protendebantur prementes. Venaesectione sublati sunt. Urina erat parca. Tumor increvit. Kali acetic.

14. Novembris. Delassatio et dedolatio magna, conjunctivae et labia insigniter pallent, digestio non lae-

sa; abdomen expansum, pastosum, indolens. Cutis plenarie sicca. Oedema ex pede utroque ad thoracem usque protendit; maximopere scrotum tumet. Calor extremitatum infra normam; urina coloris fere normalis, nequaquam profundioris, parca, turbidula, spumosa cum sedimento leviusculo, odoris peculiaris fatuo-dulcis, magnam albuminis copiam gerens, conquassata, cum aëre tubuli ope inflato magnas format bullas diu persistentes. Pulsus normali rarior, fortis, plenus.

Therapia: Kali aceticum. Extremitates inferiores stupa canabina involvuntur.

15. Novembris. Altero die linguam muco albo tegi, dolores in epigastrio et mesogastrio constringentes, borborigmos frequentes intrare observavimus.

16. Novembris. Ructus frequentiores, dolores in abdomine intensiores pressione adaugentur, alvus bis mota, pultacea. Anasarca increvit. Urina parum profundius tincta.

Therapia. Magnesia carbonica. Emulsio amygdalina.

Symptomata gastrica mox recedebant; anasarca vero incrementum quoad intensitatem et extensitatem capiebat.

20. Novembris. Infusum fervidum florum sambuci cum spiritu Mindereri et roob Sambuci. Balneum vaporosum. Involutio.

Post balneum vaporosum sudor supervenit largus, universalis, per septem horas indurans. Oedema tunc extremitatum inferiorum mollius tangebatur; facies vero, praecipue palpebrae tumere inceperunt.

21. Novembris. Balneum vaporosum produxit effectum eundem, anasarca luculenta capit incrementa.

22. Novembris. Dellassatio et dedolatio major, cephalaea frontalis premens, carebaria; oedema faciei increvit; in pectore accusantur dolores punctorii, inspirio

profundo augendi; in regione hypochondriaca dextra, nec non in regione lumborum pressione dolor excitatur obtusus; calor cutis evectus, pulsus frequentior normali, plenus, fortis.

Therapia. Venaesectio ad uncias octo. Nitrum. Sanguis e vena missus coagulum largum, friabile, absque crusta phlogistica, praevalens prae seri quantitate ostendit.

23. Novembris. Dolores in pectore remiserunt, urina est brunea turbida, spumosa, albuminosa. Pulsus minus frequens.

25. Novembris. Respiratio citata, laboriosa inspirium profundum thoracem parum dilatat et dolores in latere dextro punctorios provocat, qui pressione, motu et decubitu in latus sinistrum exacerbantur. Percussio in antica facie a costa quarta usque ad octavam sonum profert obtusiorem; in postica facie a costa septima usque ad basim thoracis sonum obtusum; soni respirationis ibi non percipiuntur. Urina parca, profundius tincta, cutis sicca, pulsus frequens fortis, durus.

Therapia. Venaesectio ad uncias octo. Nitrum.

26. Novembris. Therapia insigne levamen adduxit: respiratio liberior; dolores multo mitiores, decubitus in utrumque latus conceditur, oedema extremitatum inferiorum mollius, pulsus minus frequens et durus.

Therapia: Nitrum. Emulsio amygdalina.

27. Novembris. Signa physica exsudatum decrevisse denotant. Anasarca decrescit, urina coloris profundioris, minorem albuminis copiam gerit. Pleuritidis symptomatibus decrescentibus anasarca rapide decrevit, ita ut

30. Novembris in trunco vix conspiceretur, in femoribus sat conspicue imminueretur.

Urinae abhinc minus rubrae, largiores mingebantur, minoremque albuminis copiam continebant, odorem vix ammoniacalem spargentes.

Tali ratione et sub nitri usu anasarca in femoribus, tandem in cruribus pedibusque evanuit, ita, ut hoc symptomate plenarie liberatus se sanum existimaret et die

20. Decembris discederet. Quaedam albuminis copia tamen minor semper adhuc in urina detegebatur.

Domi post aliquot dies anasarcam rediisse et absque medicamine evanuisse audivi.

Observatio II.

Morbus Brighti primarius acutus. Anasarca, urina albuminosa. Pleuritis. Pericarditis. Ascites. Convaluit.

Weymerka Antonius, mercenarius, 18 annorum, habitus fortis, habitaculo udo, multis hominibus coadimpleto, ad Moldaviae ripam sito, usus est. Cibos maxima ex parte regno vegetabili deprompsit, potum aqua ministrabat. Praeter tineam capitis et choleram asiaticam nullum exantlavit morbum.

Quinto die Februarii anginam tonsillarem febri sat vehementi stipatam ex refrigerio admisso sibi contraxit, quae, cum aegrum

10. Februarii prima vice videremus, in stadio suppurationis versabatur simulque, ad anteriorem et lateralem colli faciem observabatur exanthema, vesiculae nimirum magnitudinis seminum canabis et pisi, halone rubro cinctae, aggregatae, sero non pellucido repletae. Abscessibus tonsillarum sponte ruptis, angina pedetentim evanuit, nec non interea exanthema exsiccabatur, decrustabatur ita, ut

16. Februarii reconvalescens declarari posset.

17. Februarii. Leve faciei, praecipue palpebrarum et anticae pectoris plagae observatur oedema, lingua muco albo tecta, sitis erat evecta, urina mingebatur parca, profundius tincta, cutis sicca, pulsus normalis.

Therapia: Decoctum graminis cum Kali acetico.

18. Februarii. Oedema quoque in extremitatibus offendebatur, in trunco validum ceperat incrementum. Tussis rara, brevis sputa effert mucoso-salivalia. Nec percussio, nec auscultatio sedulo instituta quidpiam praebuit abnormis in cavo pectoris. Abdomen meteoreticum, urina parca, profundius tincta, albuminosa.

20. Februarii. Dyspnoea, anxietas praecordialis, sensus oppressionis pectoris, tussis frequens, brevis, sicca de die aegrum vexarunt. Vesperi hic observabatur status:

Delassatio et dedolatio, calor in fronte et in genis evectus, oedema faciei multum increvit, physiognomia tristis, anxia; lingua muco crasso albo tecta, anorexia, exsiccatio oris, ructus et vomituritiones. Respiratio frequens, citata, brevis, abdominalis, peculiari sibilo perficitur, anxietas praecordiorum, tussis continuo molestabat brevis, sicca. Percussio in antica facie a costa tertia, in postica vero a costa sexta usque ad basim thoracis aeque ac in regione laterali utraque sonum prolicit nullum. Auscultatio in postica facie usque ad costam quintam docet respirationem bronchialem, abhinc usque ad basim thoracis respirationis soni deficiunt. Similia signa in antica thoracis facie deteguntur. Pulsus cordis imprimis post motum exercitatum impetuosus et peculiari strepitu junctus (cor volitans). Ictus cordis manu tangente vix percipitur. Soni cordis quasi e profundis emergentes et adeo perturbati percipiuntur, ut primus ab altero rite distingui nequeat; percussio sonum largitur vacuum, ita ut limites pericardii et pleurae cavi sinistrae assignari non possint. Abdomen immune, urina parca, spumosa, profundius tincta, albuminosa. Calor in extremitatibus infra normam, cutis est tensa, sicca. Pulsus frequens, contractus, durus.

Therapia: Venaesectio ad uncias octo. Nitrum. Calomel. Regimen antiphlogisticum.

Sanguis e vena missus coagulum offert sat largum et firmum cum crusta phlogistica.

Post venaesectionem respiratio evasit liberior, anxietas praecordiorum et oppressio pectoris imminuebatur. Levamen per sedecim horas durabat.

21. Februarii. Calor in fronte et genis evectus, physiognomia anxia, anorexia, sitis clamosa, vox debilis, loquela intercisa, carotidum vibratio vehemens; respiratio frequens, brevis, citata, laboriosa, magis abdominalis, anxietas praecordialis, tussis frequens, brevis, abrupta, sicca; signa percussione et auscultatione tentata accepta fere eadem. Abdomen immune. Urina ejusdem conditionis. Calor in trunco evectus, in extremitatibus inferioribus infra normam. Cutis sicca. Pulsus perfrequens, fortis, durus.

Therapia: Venaesectio ad uncias septem. Nitrum. Calomel. Regimen antiphlogisticum.

Venaesectio nullum induxit levamen. De nocte tussis frequens impetuosa, suffocativa, ita, ut aeger continuo fere insidere cogeretur. Alvus bis diarrhoica posita.

22. Februarii. Quum status nullius symptomatis respectu emelioratus esset, anasarca vero in trunco, praecipue in scroto ac pene, nec non in extremitatibus inferioribus validum cepisset incrementum, venaesectio ad uncias octo instituta, Calomel, Nitrum in decocto Althaeae continuabatur.

Levamen venaesectione productum per viginti fere horas induravit, respiratio enim tunc erat liberior, tussis rarior, sensatio pectoris oppressi imminuta, reactionis febrilis symptomata mitiora. Quum vero

23. Februarii ructus et vomituritiones crebro recurrentes, tussim frequentem et vehementem, vocem debi-

lem, loquelam intercisam, respirationem citatam atque laboriosam, sputa striis sanquineis insignita, dolores vellicantes in pectore; hydrothoracis et anasarcae incrementum, reactionem exsurgentem in systemate sanguifero, urinam parcam, profundius tinctam majori albuminis copia praegnantem observaremus: venaesectionem iterare non hesitavimus.

Post venaesectionem levamen. Somnus tranquillus.

24. Februarii. Vesicans ad pectus oedemate fere liberum. Scrotum penisque magis iterum tumebant.

25. Februarii. Ob alvum quinquies ruentem, fluidam Calomel est sepositum, vesicans iteratum.

Ructus insipidi per vices, oedema faciei valde imminutum, percussio in postica thoracis facie a costa prima usque ad quartam sonum prodit normalem, dein obtusiorem, qui demum versus basim thoracis plane vacuus evadit. Respiratio bronchialis non adeo intensa; ictus cordis manu tangente melius percipiuntur; soni cordis, etsi e profundis emergentes, bene distinguuntur; sono primo levis strepitus follicularis miscetur. Urina parca, brunea, odoris fatui, sedimentum deponit calore et acido nitrico solvendum et albumine scatet. Diarrhoea continuat.

Talis permansit status usque ad

6. Martii. Increscente anasarca Kali aceticum ordinatum est.

7. Martii. Lingua muco albo tecta, appetitus viget; sitis adaucta, ructus insipidi, tussis rara, sicca; respiratio frequens, citata sed minus laboriosa. Soni cordis ac respirationis iidem audiuntur. Abdomen parum expansum, indolens. Alvus ter fluida, urina parca profundius tincta, sedimentum deponens mucosum, albumine scatet. Calor in trunco normalis, in extremitatibus infra normam, pulsus frequentior normali perstat, in facie et extremitatibus inferioribus multum increvit.

11. Martii. Tussis rarissima, respiratio frequentior non laboriosa, ictus cordis bene tanguntur, soni parum debiliores percipiuntur. Hydrothorax est in decremento, ast abdominis volumen multum increvit, obscure fluctuat, et sub percussione ope plessimetri fortiter appressi in iliaca utraque et hypogastrica sonum vacuum praebet. Alvus ter mota fluida; urina parca, profundius tincta, cum largo sedimento mucoso, calore et acido nitrico tentata vasculum, quo continetur albumine replet. Anasarca ubicunque increscit. Cutis sicca. Pulsus frequentior normali, contractus.

12. Martii. Abdomen indolens, in ingentem molem expansum manifestissime fluctuat. Alvus bis fluida deposita. Urina est parca; coloris fere normalis, odoris fatuodulcis, albumine scatens. Pulsus frequentia et fortitudine normalis.

Therapia: Infusum foliorum Digitalis purpureae cum Nitro.

15. Martii. Appetitus et sitis normales. Tussis nulla. Respiratio placida; percussio et auscultatio pulmones sanos ostendit. Cordis ictus atque soni normales. Ascites perstat. Alvus semel mota, fluida. Urina largior, profundius tincta, minorem albuminis quantitatem continet. Cutis sicca. Anasarca quidquam decrevit.

Therapia continuatur.

18. Martii. Abdominis volumen decrescit. Diarrhoea continuat. Urina largior normali profundius tincta minorem albuminis quantitatem continet, cutis mollis. Oedema in scroto minus ac multo mollius offenditur, in facie et extremitatibus superioribus fere disparuit.

Therapia continuatur.

21. Martii. Ascites decrescit. Alvus pultacea, urina larga, coloris normalis, odorem plane nullum spargens albumine vacat.

Therapia eadem.

26. Martii. Ascites decrescit, alvus regulariter deposita, urina larga profundius tincta, turbida, albumine vacat; oedema solum in extremitatibus inferioribus perstat modicum. Cutis mollis, pulsus aequalis quoad rythmum et dynamim.

Therapia. Decoctum graminis cum Kali acetico et oxymel. simplici.

31. Martii. Abdomen ad normale volumen regressum nullibi fluctuat, alvus regularis, urina larga profundius tincta, turbida, amoniacalem spargens odorem absque ullo albuminis vestigio. Cutis mollis. Oedema in extremitatibus levissimum, quod

3. Aprilis penitus evanuit, ita ut

10. Aprilis sanus domum discederet.

Observatio III.

Morbus Brighti secundarius. Icterus. Ascites. Anasarca. Intermittens irregularis. Serius urina albuminosa. Diarrhoea. Mors.

Kordon Anna, 39 annorum, mercenaria, praeter febrim intermittentem flore juventutis per integrum annum atque sex perdurantem hebdomades nullum exantlavit morbum. Menstrua prima vice post partum primum anno aetatis vicessimo quinto adparuerunt admodum parca; abhinc fluxum illum sanguineum ter tantum quatuor hebdomadum intervallo rediisse assignat, postea vero eum unquam adparuisse, constantissime negat, etsi adhuc sexies partum perfecerit (quintus erat praematurus).

Morbus praesens post animi pathema ante quatuor hebdomades exortus delassatione, frigore, aestu atque sudore subsequis. Frigus cum aestu alternans per quatuor dies aegram infestabat, eclisibus per vices intercurrentibus, anorexia, polydipsia, alvus firma, albescens, uri-

na parca, multum profundius tincta, cerevisiae similis. Ructibus et vomituritionibus praegressis aliquoties intravit vomitus, materiam aquosam flavam, amaram ejiciens. Sexto morbi die extremitates inferiores tumere coeperunt. Undecimo volumen abdominis increvit, simulque tota corporis superficies flavuit. Postea aliquoties adhuc vomitus intravit et dolores in articulationibus extremitatum superiorum accesserunt. Ex venaesectione instituta exiguum pullulavit levamen.

13. Octobris. Delassatio et dedolatio magna, calor capitis modice evectus, conjunctiva palpebrarum et bulbi, imo cornea flavent. Labia sicca, membrana mucosa cavi oris flavet, lingua muco crasso, tenaci, flavo tecta, tremula porrigitur. Sapor limosus, anorexia, exsiccatio oris, sitis intensa. Facies collapsa, phisiognomia tristis. Auscultatio et percussio sedulo instituta in omni pectoris ambitu nil abnormis ostendunt. Abdomen valde sed aequabiliter expansum, globosum, ad umbilicum magis prominens, fluctuans. Prolapsus vaginae, quem aegra ex primo partu retulit. Oedema extremitatum inferiorum, regionis sacralis et lumbalis. Cutis in omni superficie ex viridi-flavescenti tingitur colore.

Therapia. Decoctum solvens cum tartaro tartarisato. Decoctum graminis pro potu. Extremitates inferiores stupa canabina involvuntur. Diaeta ad juscula restringitur.

15. Octobris. Alvus normalis, urina parca, brunea, calor totius corporis valde adauctus, pulsus multum frequentior, suppressus, durus.

Therapia. Venaesectio ad uncias decem. Calomel. Sanguis e vena missus coagulum offert firmum absque crusta phlogistica; serum flavum in ratione crassamenti. Levamen ex phlebotomia conspicuum.

19. Octobris. Appetitus evigilat, lingua pura,

Icterus quidquam recessit; alvum deponit diarrhoicam. Dolores colici vehementes alvi depositionem praegrediuntur.

22. Octobris. Diarrhoea silet, dolores colici perstant; cum aegra alvum deponeret duram, ortus est prolapsus recti, qui mox reponebatur. Postea horrore corripitur aegra, qui aestu non insigni excipiebatur. Oedema extremitatum inferiorum increvit et quintam vertebram attigit.

Therapia. Mixtura solvens seponitur.

24. Octobris. Tenesmus continuus, dolores colici perstant. Abdominis volumen increscit.

Therapia: Mixtura oleosa cum aqua Laurocerasi.

26. Octobris. Dolores colici remisere. Diarrhoea cum alvo firma alternat. Post meridiem aegra repentino corripiebatur horrore, totum conquassante corpus, quem aestus intensus et paulo post sudor universalis sequebatur; appetitus prostratus, sitis intensa, calor corporis valde evectus, per viginti fere horas observabatur, pulsus frequens, durus.

27. Octobris. Lingua muco albo tegitur, urina fluit largior.

29. Octobris. Lingua pura, appetitus normalis, sitis parum evecta, genae leviter rubent. Oedema jam in abdomine offenditur. Extremitatum inferiorum volumen fere duplo auctum.

Therapia: Decoctum taraxaci cum kali acetico.

1. Novembris. Post meridiem horripilationes intrarunt, quae aegram usque ad vesperam vexarunt nullo sudore subsequo.

3. Novembris. Somnus ob dispnoeam ex increscente abdominis volumine inquietus, respiratio frequens, laboriosa; inspirium profundum aegre conceditur; alvus firma, urina parca, profunde tincta.

Punctione abdominis sedecim librae seri non viscidi, sordide flavi evacuabantur. Tunc aegra statum laudavit.

6. Novembris. Somnus interruptus, aegra conqueritur de lipothymiis; delassatio major, physiognomia tristis, facies collapsa, calor adauctus. Abdomen non sensile, idem tenet volumen ac ante punctionem; emaciatio insignis, appetitus et sitis normalis, pulsus frequens contractus. Urina parca, profundius tincta.

Therapia. Infusum Digitalis purpureae cum Kali acetico.

8. Novembris. Color faciei flavus disparet. Sclerotica parum flavet. Post meridiem iterum intravit frigus ad mesonyctium usque indurans, nullo subsequo aestu. Aegra valde morosa, desperat de statu suo, conqueritur de summa spirandi difficultate et propterea abdominis punctionem exposcit. Urina parcissima, brunea.

9. Novembris. Punctione octo tantum librae seri ejusdem qualitatis abdominis eliciebantur. Magna dein seri quantitas e vulnere stillabat, respirationis molestiae evanuerunt; oedema in pedibus dimidia parte decrevit, continuo tamen proserpens thoracem jam occupat.

16. Novembris. Post prandium frigus intravit ad noctem usque indurans, aestu levi et sudore largo exceptum. Abdominis moles increscit, oedema pedum decrescit, urina parca, profunda tincta, albuminosa.

19. Novembris. Leves persentiuntur dolores sub contrectione scrobiculi cordis et in regione, hypochondrio dextro confini.

21. Novembris. Dolores evanuere. Incipit diarrhoea sine tenesmo et dolore.

Therapia: Mixtura gummosa.

26. Novembris. Cum abdominis moles ingens summas molestias respirationis produceret, punctio instituebatur, qua fere quadraginta librae seri pellucidi evacuabantur. Aegra hilaris statum laudat.

27. Novembris. Diarrhoea silet, urina mingitur largior, minus profunde tincta, albuminosa.

Therapia: Decoctum graminis cum Kali acetico.

28. Novembris. Frigus heri vespere initians duravit per omnem noctem, somnum arcuit, aestu non excipiebatur, appetitus prostratus, sitis clamosa, lingua muco flavo tecta. Oedema in pedibus decrescit, in trunco increscit. Icterus sensim recedit. Diarrhoea.

Therapia: Mixtura gummosa.

29. Novembris. Frigus duas horas perdurans aegram vexavit. Alvus fluida absque dolore. Abdomen expansum, molle.

Therapia. Pulveres Doveri. Decoctum Salep.

30. Novembris. Diarrhoea increscente therapiae praescriptae adjiciebantur clysmata ex decocto salep cum tinctura anodyna simplici, et quum diarrhoea per totum diem effrenis perduraret, vespere ordinabatur alumen crudum cum opio puro.

1. Decembris. Heri ad vesperas frigore non praegresso aegram invasit aestus intensus. Alvus de nocte sexies deposita fluida. Appetitus deletus, sitis clamosa, vomiturationes crebrae, vomitus jusculum comestum efferens; pulsus frequens, contractus; respiratio frequentior, quidquam laboriosa; inspirium profundum bene concessum. Auscultatio et percussio nil abnormis docet. Emaciatio rapide progreditur. Physiognomia tristis, facies collapsa, nasus accuminatus, oculi minus vivaces, in orbitas relapsi, halonibus cincti.

Therapia continuatur.

3. Decembris. Alvus continuo fluit. Delassatio summa. Vomitus pluries intravit; abdomen collapsum, indolens. Oedema pedum fere evanuit. Pulsus irregularis, debilis.

Therapia: Clysmata ex decocto Salep cum ace-

tate plumbi et tinctura anodyna. Interne Laudanum liquidum Sydenhami.

4. Decembris. Diarrhoea de die intervallis silebat, guttatim tantum alternis momentis alvus stillabat. Pulsus debilis, parvus.

Therapia: Sinapismus ad abdomen. Interne Extractum nucis vomicae cum laudano liquido Sydenhami.

5. Decembris. Collapsus magnus, facies hypocratica, lingua fissa, sicca, aspera limae adinstar; exsiccatio oris; respiratio placida, pulsus perfrequens, filiformis.

Therapia: Nitras argeati interne cum laudano liquido Sydenhami, forma clysterum cum decocto Salep.

6. Decembris. Noctu aegra evasit aphonica, soporosa, conscientia abolita, alloquentis voci non respondet. Oculi vitrei, semiclausi, halonati, linguam jussa non porrigit. Calor corporis infra normam. Respiratio tarda, stertorosa. Decubitus neglectus, pulsus cordis et arteriarum perfrequens intermittens, debilis.

Therapia: Infusum florum et radicis Arnicae cum aethere sulfurico et Camphora. Noctu porrigebatur Moschus.

7. Decembris. Sopor continuus, oculi clausi, os apertum, respiratio citata, brevis, calor cutis infra normam. Pulsus vix tangendus. Post meridiem animam efflavit.

Extispicium.

In cavo cranii nil praeter naturam.

Pulmones parum serose infiltrati, hinc inde costis telae cellulosae ope adnectuntur, uterque pleurae saccus quatuor seri flavi uncias continet. Pericardium normale. Cordis fabrica normalis, substantia tamen friabilis pallida.

In cavo abdominis sex librae laticis serosi turbidi. Hepatis ad dimidiam voluminis partem reducti, super-

ficies inequalis, cicatricibus quasi contracta, integumentum rugosum, substantia granulata (granula quaedam magnitudinem pisi adaequant) anhaemica, laxa. Vesica fellea magnam bilis spissae, atrae copiam continet. Lienis volumen adauctum, integumentum incrassatum, substantia anhaemica, marcida.

Ventriculus in medio contractus, ut duas quasi sectiones efformet, quae strictura per cicatricem radiatim excurrentem a magno ventriculi arcu formantur. Similis sed minor cicatrix radiata in posteriori ventriculi pariete offenditur. Membrana mucosa pylorum inter et illam stricturam turbido-caerulea, relaxata, emollita.

In intestinis tenuibus nil observatur morbosi; in intestinis crassis glandulae solitariae conspiciuntur, qua plagulae magnitudinis seminis canabis, coloris grisei, quae hinc inde perspicue impressionem ostendunt, ut glandulam extrusam credas; loca singula dispersa observantur, ubi membrana mucosa in escheram conversa et reti vasculari denso profunde rubro circumdata erat, hinc inde membrana mucosa jam discesserat, superficialia ulcera relinquens.

Renum volumen quidpiam adauctum, substantia corticalis hypertrophica, friabilis, ex albo flavescens, granulata, vasis varicosis perreptata; substantia medullaris coloris profunde rubri. Organa reliqua urinaria et sexualia normalia reperiuntur. Lotium vesica urinaria contentum albuminosum.

Observatio IV.

Morbus Brighti secundarius, hypertrophia cordis sinistri cum valvularum insufficientia. Anasarca. Serius urina albuminosa. Pleuritis Ascites. Mors.

Ullmann Joannes, 69 annorum, auriga, habitus apoplectici perfecta sanitate usque ad annum quadra-

gesimum gavisus est, ubi typho abdominali corripiebatur, a quo post integrum semestre convoluit. Post decem annos per sex heddomades gravaminibus haemorrhoidalibus detentus erat, e quibus fluxu sanguineo largo contingente liber evasit. Victu fruens parco, potibus spirituosis indulgebat, Jovi varianti expositus absque noxa. Sudoribus pedum habitualibus largis ex multis abhinc annis laborat, quos ante tres hebdomades frigore admisso suppressus causam occusat praesentis morbi, qui doloribus ad articulationes extremitatum inferiorum et superiorum lacerantibus, delassatione ac spirandi difficultate in scenam prodiit. Nono morbi die pedes tumore obsessos vidit, qui mox sursum migrans scrotum et penem miro modo inflavit. Brevi post semilis tumor totum corpus invasit. Dispnoea perstanti accessit cephalea et agrypnia. Urina parca, quae difficillime evacuabatur.

17. Octobris. Baryecoia ex pluribus annis indurans; calor capitis modice evectus, lingua muco flavicante levi tecta. Sitis intensa, digestio viget, in pulmonibus nil praeter naturam. Percussio in regione cordis majori circumferentia sonum praebet obtusum; pulsus cordis fortis, regularis, late expansus. Primus sonus protractus in regione mammali percipitur, asper, alterum quasi obtegens strepitui folliculari intenso, qui longe supra mammam propagatur, junctus. Abdomen expansum, globosum, indolens, non fluctuans. Tumor oedematosus totam occupat corporis superficiem a calce ad corticem usque; penis, in vesicam pellucidam extensus, scrotumque magnitudinem capitis infantis adaequans grandi modo defiguratum conspiciuntur. Alvus non mota. Urina brunescens, parca, non albuminosa, absque odore. Calor trunci normalis, extremitatum infra normam. Cutis mollis sicca. Pulsus parum frequentior normali, sat fortis, diurusculus, aequalis quoad rythmum et dynamim.

Therapia: Decoctum graminis cum Kali acetico. Pulveres foliorum Digitalis purpureae. Fomenta tepida ad scrotum. Involutio extremitatum inferiorum cum stupa canabina.

18. Octobris. Cephalea levis, oedema scroti decrevit, alvus quinquies deposita, fluida.

19. Octobris. Cephalea frontalis, premens, quae somnum arcebat, perstat, calor capitis quidquam adauctus, dyspnoea, anasarca eadem, alvus octies ruit fluida.

Dosis medicaminum imminuta.

20. Octobris. Nox inquieta, cephaleam frontalem vellicantem et diarrhoeam frequentem. Mane cephalea et carebaria, calor capitis evectus, appetitus, sitis intensa; tussis modica efferens sputa mucoso-salivalia, inspirio profundo prolicitur, spirandi difficultas, anasarca eadem, cutis in trunco magis calens, sudat.

Therapia: Decoctum graminis cum Kali acetico.

De die aeger admodum morosus fomenta tepida et stupam canabinam rejicit. Vespere ructus et vomituritiones accedebant, diarrhoea continuavit.

Medicamen sepositum.

21. Octobris. Aeger valde morosus de dolore frontali, caput distrahente, carebaria et vertigine conqueritur. Ter ecclisibus tentabatur, memoria hebes, calor capitis auctus, appetitus prostratus, sitis intensa. Reliquus status idem ac heri.

Therapia: Venaesectio ad uncias decem. Epithemata frigida ad caput. Interne pulveres Calomelanos. Emulsio amygdalina.

22. Octobris. Nox inquieta ob nauseam et vomituritiones continuas. Sanguis e vena missus coagulum format largum, friabile absque crusta phlogistica. Aeger morosus, se bene habere assignat, cephalea vellicans, calor cutis evectus, pulsus contractus, durus. Anasarca eadem.

Therapia: Ommissa venaesectione omnia continuantur.

23. Octobris. Hora tertia pomeridiana aeger inquietus de cephalea gravi conquestus, inconcinne respondet et agit, hallucinatur, caput multum calet, turgor, rubor et calor faciei valde adauctus, ructus et vomituritiones molestant. Pulsus rarior normali, contractus, durus.

Post venaesectionem et epithemata frigida ad caput adplicita status sensim emelioratur ita, ut vespere statum laudaret et facultatum mentis turbae et reliqua signa congestionum versus encephalon abessent, pulsus perstitit rarior normali, contractus durus.

Noctem inquiete transegit aeger fugam capturus et multum hallucinatus.

24. Octobris. Mane carebariam accusat, frons et facies multum calent, diarrhoea continuat, lotium parcum, brunescens, calore et acido nitrico tentatum magnam albuminis copiam offert.

Therapia: Calomel continuatur.

26. Octobris. Congestionibus versus encephalon sensim evanescentibus, curam hydropis adgressi sumus, praescribentes Decoctum graminis cum Kali acetico et oximelle simplici; sub hac therapia, cui

31. Octobris pulveres ex foliis Digitalis purpureae et Calemela addidimus; tumor oedematosus ubique mollior evasit, urina fluxit largior, semper tamen albuminosa et brunescens. Appetentiae viguerunt.

7. Novembris. Oedema pedum subitaneum cepit incrementem et die subsequo cephalea rediit frontalis, pungens, calor capitis adauctus, gingivarum pruritus et tumor, sialorrhoea, foetor murculiaris observabantur, urina potus quantitatem excessit, turbida coloris brunei, albuminosa; pulsus frequentior, contractus.

Therapia: Decoctum graminis cum Kali acetico.

10. N o v e m b r i s. Cephalea frontalis et temporalis lateris sinistri pungens, calor capitis et faciei evectus, ptyalismus, ructus, vomituritiones. In regione lumbali sinistra prope columnam vertebralem accusatur dolor obtusus, premens motu, tussi minime tamen pressione augendus. Alvus his mota, fluida, urina potus quantitatem excedit, turbida, coloris sanguinei, albuminosa. Cutis sicca. Pulsus frequentior, contractus. Anasarca in eodem perstat tenore.

T h e r a p i a: Emulsio amygdalina. Mixtura gummosa. Colutoria ex decocto Althaeae.

Status talis perstitit, nisi quod hydrargirosis symptomata sensim decrescerent, dolor renalis imminueretur, anasarca vero, urina parciori ejusdem ceterum conditionis fluente, incrementa valida caperet.

22. N o v e m b r i s. Balneum vaporosum in usum trahebatur, quod tamen sudores non provocavit, licet aeger per tres horae quadrantes ibi commoratus esset.

25. N o v e m b r i s. Cephalea frontalis, obtusa, calor capitis auctus, in sinistro thoracis latere ad costam 7. et 8 pungens adcusatur dolor, percussione et inspirio profundo augendus; spirandi difficultas sub decubitu in latus sinistrum. Percusio et ausculsatio nil largitur. Diarrhoea, urina parca, turbida, albuminosa, coloris fere normalis, pulsus frequentior contractus, durus. Anasarca idem.

T h e r a p i a: Venaesectio ad uncias decem. Epithemata ex aceto ad caput. Mixtura nitrosa. Extremitates inferiores stupa canabina involvuntur.

Venaesectionem levamen excepit doloris, qui imminutus perstitit, sicuti et dyspnoea.

29. N o v e m b r i s. Auscultatio ronchum docet crepitantem. Thorax percussus in inferiori parte obtusum edit sonum.

T h e r a p i a: Decoctum graminis cum Nitro. Vesicans ad pectus.

30. Novembris. Dyspnoea major, respiratio brevis valde laboriosa, inspirium profundum aegre conceditur, tussimque ciet. Aeger morosus, inquietus modo huic modo alteri incumbit lateri. Calor praeter caput in trunco et extremitatibus inferioribus infra normam, diarrhoea, urina ejusdem ut antea conditionis, pulsus contractus, appetitus prostratus, sitis intensa. Anasarca idem.

2. Decembris. Ascites accessit, dyspnoea adeo increvit, ut aeger insidens ore hiante aerem capere cogeretur. Postquam diebus subsequis morosus evasisset, responsum denegaret, mox iterum vociferatus et hallucinatus esset

9. Decembris soporosus evasit et eodem die animam efflavit.

Extispicium.

Glandulae Pachioni normalibus multo majores. Membrana arachnoidea firma, incrassata; substantia cerebri mollis, ventriculorum sero impletorum parietes granulationibus obsidentur. Corpora striata emollita, cerebellum, pons Varoli ac medulla prolongata sero infiltrata; in basi cranii unciae duae seri pellucidi. Pulmones oedematosi cum pleura costali pseudoplasmatibus juncti, pulmo sinister exsudato lineas duas crasso obducitur et saccus pleurae sesqui alterum sextarium seri pellucidi continet. Pericardium sero repletum. Cor majus tenet volumen ac normae convenit, ventriculus sinister dilatatus parietibus quidquam crassioribus. Valvula bicuspidalis crassior, insufficiens; valvulae semilunares ad margines ossificatae. Arcus Aortae dilatatus. Membrana mucosa intestinorum crassorum maculis obsidetur, abdominis contentum vix magnae quantitatis. Renes alterum granulationis (secundum Rayer) offerunt stadium.

Observatio V.

Morbus Brighti primarius chronicus in syphilitica. Amenorrhea. Anasarca, urina albuminosa. Diarrhoea, hydrothorax. Mors.

Wellebil Maria, ancilla 28 annorum lavando ut plurimum occupabatur et habitaculum humidum, angustum multisque hominibus repletum inhabitabat. Ad vicesimum quartum annum usque sanam degit vitam, donec post partum felicem menstrua cessarent, quorum loco effluvium mucosum, spissum ex albo-viridiscens, foetens, ad hodiernum usque diem sine intermissione ex genitalibus stillat. Infectionem negat. Ex eodem tempore oedema pedum aegram molestat, quod praecipue post ingressum diutius protractum increscere, noctu vero decrescere, imo nonnunquam evanescere amat, simulque ingressus ob plumbeam extremitatum gravitatem perquam difficilis factus est. Quatuor hebmodes abhinc intumescentia ita increvit, ut totum tegeret corpus, alvus fluida decies, et quod superest, de die deposita, urina missa parca absque difficultate.

29. Octobris. Musculi flaccidi, nutritio manca, facies pallida tumescit, membrana mucosa, conjunctivae bulbi, palpebrarum, carunculae, labiorum, gingivarum nec non palati pallet, appetitus normalis, sitis aucta. Organa thoracis ad amussim sana; in abdomine nil praeter naturam, dolor in lumbis nullus. Membrana mucosa vaginae insigniter pallet, ex ore uterino effluvium stillat spissum, ex flavo-viridiscens, valde foetens. Condilomata ad anum. Diarrhoea. Urina parca, pallida, turbida, albuminosa. Hydrops cutaneus per totum corpus diffusus. Reactio febrilis nulla.

Therapia: Decocto - infusum ex radice Colombo et calami aromatici. Involutiones extremitatum cum stupa canabina.

30. Octobris — 4. Novembris. Anasarca parum decrevit, alvus deponitur pultacea.

Therapia: Decocto-infusum ex cortice Peruviano et radice Calami aromatici. Involutiones.

9. Novembris. Recrudescit diarrhoea, oedema extremitatis superioris fere evanuit, increvit vero in dextra.

Therapia: Mixtura gummosa. Involutiones.

11. Novembris. Continuante diarrhoea ordinabantur pulveres Doveri.

14. Novembris. Diarrhoea silet ex biduo. Anasarca et urinae conditio non mutata. Bubo in inguine dextro.

Therapia: Infusum radicis calami aromatici cum ferro muriatico. Involutiones. Cataplasmata ad bubonem.

19. Novembris. Debilitas aegrae et emaciatio increscit, siccitas oris, anorexia, polydipsia, dyspnoea, inspirium profundum cohibitum; situs diligitur magis erectus. Percussio a costa sexta usque ad basim thoracis sonum largitur vacuum; auscultatio docet respirationem indeterminatam cum roncho mucoso. Febris nulla.

Therapia: Mixtura gummosa. Involutiones extremitatum. Cataplasmata ad bubonem.

24. Novembris. Noctem aegra insomnem transegit, et admodum quaerula delassationem et dedolationem summam nec non dolores tensivos in suris vehementes adcusat, physiognomia anxia, color faciei magis turbidus, oculi relapsi, halonati, lingua sicca, ciborum fastidium, molestiae in pectore perstant. Alvus in gratiam clysmatis semel mota, pultacea, urina parcissima, turbida, profundius tincta, albuminosa. Anasarca in toto corporis ambitu multum decrevit, calor in trunco normalis, in extremitatibus infra normam, pulsus frequentior normali, parvus debilis, aequalis.

Therapia: Infusum radicis Valerianae cum Camphora. Juscula vinosa. Vinum budense cochleatim.

26. Novembris. Aegra morosa, inquieta, medicamen cibumque recusat, vires musculares ad imum prostratae, sensus ardoris in toto corpore, facies hypocratica, sensus interni vigent, pulsus perfrequens, debilis, parvus, irregularis quoad rythmum, urina non missa, anasarca adhuc magis recedit.

27. Novembris. Mors.

Extispicium. (32 horas post obitum.)

Corpus summe emaciatum, anasarcae vestigia, in crure dextro, praecipue ad genu plures observantur ecchymoses. In regione inguinali dextra glandula lymphatica tumet. Condilomata ad anum.

Cavum Cranii. Dura meninx sicut et sinus venosi sanguine vacant, pia mater parum seri limpidi in textu celluloso gerit; substantia cerebri exsanguis, cerebellum pauco sero infiltratum.

Cavum pectoris. Cavum pleurae utrumque libras duas seri flavescentis continet; pulmo uterque in apice accretus cicatrices ostendit, sub quibus tubercula partim recentia, partim calcarea observantur, lobi superiores ceterum oedematosi. Membrana mucosa bronchorum rubet. Cor normale.

Cavum abdominis. Hepar pallidum, parum sanguinis fluidi continet. Renes volumine aucti superficie inaequales, tuberosi, pallide flavicantes, duriores, exsangues; dissecti substantiam corticalem praeponderantem granulis innumeris ex albo flavicantibus, magnitudinem seminis milii aequantibus constituitur. Vena renalis utraque sicut et ejus ramuli tenuiores coagula alba gerunt. Vesica urinaria parum urinae albuminosae continet. Vena spermatica interna dextra lympha plastica obturatur. Uterus

pallet exsanguis. In intestino recto ulcus, circumferentiae trium pollicum, marginibus callosis, fundo lardaceo; membrana totius reliqui tractus intestinorum pallet.

Observatio VI.

Morbus Brighti secundarius. Anasarca. Urina albuminosa. Hydrothorax. Oedema pulmonum. Pneumonia. Mors.

Tarnowsky Simon, 25 annorum habitu gaudet athletico. Juveni epistaxis saepe contigit. Anno aetatis 27 nomen dedit, bellis cum Gallia gerendis interfuit omnibus, multisque pressus aerumnis bis vulnerabatur et pleuropneumonia traumatica laborabat. Bellis compositis, politiae militibus adscriptus est, ubi omnibus aëris vicissitudinibus expositus bronchitidem quotannis perpessus est, quae regimine diaetetico inepto in menses saepe protrahebatur. Potibus spirituosis multum indulsit. Aeger ex pluribus annis quavis hieme pedum intumescentiam observat, quae vero huc usque semper absque medicamine evanuit. Quum vero ante quatuor hebdomades pedibus intumescentibus dyspnoeam validam, appetitum deletum ac delassationem increscentem persentiret, nosocomium adiit.

18. Decembris. Delassatio et dedolatio magna, cephalaea universalis, pressiva, carebaria, aeger morosus, de sorte sua desperabundus, anorexia, sitis evecta, lingua muco crasso albo tecta; ructus per vices; respiratio citata, brevis, laboriosa, anxia, abdominalis, sibillo juncta peragitur. Percussionis sonus in antica thoracis facie a costa prima usque ad tertiam normalis, abhinc parum obtusior. Auscultatio ibi respirationem puerilem, hic vesicularem, roncho intermixtam; in postica facie utriusque lateris percussio a costa prima usque ad quintam fere normalem, dein vero obtusiorem, et mox vacuum sonum

profert; auscultatio ronchum subcrepitantem intensum evincit. Percussio in regione cordis in circumferentia quatuor pollicum qaudratorum sonum producit vacuum; soni cordis adeo irregulares, ut nec primum nec alterum percipere possis; pulsus cordis per totum fere pectus sentitur. Decubitus supinus denegatur ob dyspnoeam increscentem. Tussis frequens effert sputa partim globosa, partim serosa, in filum ductilia. Physconia hepatis. Ascites abest. Alvus firma, urina parca, pellucida, coloris normalis, odoris fatuo-dulcis, albuminosa, pulsus frequentior normali, fortis, irregularis. Oedema pedum et crurum, minus extremitatum superiorum.

Therapia: Venaesectio ad uncias decem. Mixtura nitrosa. Post venaesectionem dyspnoea decrevit, ceterum status perstitit idem.

23. Decembris. Respiratio frequens, laboriosa, tussis valde molesta, sputa effert sanguinolenta, in lobo inferiore dextro respiratio auditur intensa, bronchialis. Cutis sicca, pulsus frequens, contractus. Oedema in eodem tenore. Alvus obstipa, urina parcissima, brunescens, odoris fatui, spumosa, albuminosa.

Therapia: Venaesectio ad uncias decem. Mixtura nitrosa.

25. Decembris. Dyspnoea tanta, ut continuo insidere cogatur aeger; respiratio bronchialis auditur, sputa mucosa; cordis conditio eadem. Oedema sursum migrans scrotum ac praeputium attingit.

Therapia: Infus. Digitalis purpureae cum Nitro.

28. Decembris. Respirationis molestiae perstant; tussis frequens sputa effert mucosa sanguine tincta; inspirium profundum penitus denegatum ob dolorem vehementem, pungentem. Decubitus supinus non conceditur partim ob dispnoeam increscentem, partim ob dolorem exacerbatum in latere sinistro; anorexia, sitis solito major,

cutis sicca, oedema increscit, alvus pultacea, urina parca, spumosa viridescens, odoris fatui, albuminosa.

30. Decembris. Status pulmonum idem, sputa crocea, oedema genitalium praecipue increscit, catarrhus conjunctivae oculi utriusque evolvitur, carebaria, temulentia, agrypnia. Cutis sicca, pulsus frequens, contractus, irregularis. Oedema idem.

Therapia. Mixtura nitrosa.

3. Januarii. Cephalea premens, carebaria, rotulae prae oculis, somnolentia, deliria, respirationis molestiae summae, tussis continua sputa effert cupreo colore tincta, respiratio bronchialis semper percipitur in pulmonis dextri infima parte, calor in trunco evectus, in extremitatibus inferioribus infra normam, alvus clausa, urina parcissima, profunda tincta, spumosa, majorem albuminis copiam gerit. Pulsus frequens, sat fortis, duriusculus.

Therapia: Mixtura nitrosa.

6. Januarii. Deliria blanda, aeger appetitum vigentem, sitimque normalem assignat, dyspnoea magna, respiratio bronchialis in dextro lobo inferiore multum recessit, crepitus ibi rudis, obtuse percipiendus, in thorace sinistro rhonchus subscrepitans, tussis rarior sputa nulla effert, alvus firma, urina parcissima, profunde tincta, albuminosa.

Therapia: Mixtura nitrosa.

8. Januarii. De nocte status pejor, dispnoea summama attigit gradum, tussis vexabet continua, livor faciei, deliria, phantasmata prae oculis, rhonchus per totum pectus talis, ut alios sonos omnes obtegat. Anasarca in trunco proserpit.


10. Januarii. Sub diliriis continuis blandis, respirationis molestiis increscentibus, livore faciei, rhoncho agonisantium exorto, mortuus est.

Extispicium.

In ventriculis lateralibus circa drachma dimidia, ad basim drachmae fere sex seri limpidi inveniebuntur. Cerebri et cerebelli substantia caeterum a norma non deviabat. Uvula oedematose tumebat. Pulmo sinister in externa et inferiori parte partibus vicinis intime adhaerebat. Cavitas pleurae lateris sinistri libram circiter seri includebat et textus cellularis pulmones cum pleura conjungens oedematose infiltratus est; lobus superior oedematosus, in inferiori lobo autem hepatisatio labularis, partim rubra, partim grisea inveniebatur, quae obscessulos hinc inde includebat. In cavitate pleurae dextra ultra octo librae seri accumulatae erant; inferior et medius lobus compressi, superior autem ad marginem anteriorem emphysemate obsessus. In pericardio parum seri aderat. Substantia cordis praeter plagas tendineas profundiores et superficiales hypertrophica in ventriculo sinistro quidquam dilatato coagulum molle, nigrum includebat. Ostium venosum sinistrum angustatum erat ita, ut ex atrio in ventriculum nec digitus immiti potuisset; mitralis valvula incrassata erat. Cor dextrum et vasa majora sanguinis includebant coagulum partim molle, partim consistens. Hepar quidqiam minus normalis coloris, hinc inde violacei, hinc inde cinerescentis, superficies ejus rugata, consistentia aucta, substantia autem quidquam compacta. Vesica fellea extensa bilem ferens normalem. Lien durum, substantia crassa, profunde brunea. Membrana mucosa coli ascendentis erat rubre tincta, intestini tenuis autem normalis.

Renes magnitudinis erant relative normalis, superficies externa flave punctata; idem renes discissi ostendebant. Puncta ista flavicantia erant in substantia corticali, quae caeterum coloris et consistentiae fere normalis erat. Sanguinis copia quidquam major erat. In ventriculo plu-

ra puncta, coloris bruneo-rubescentis et versus pylorum hinc inde ulcuscula observabantur plus minus profunda, margine evelato circumdata, magnitudine seminis canabis ad hanc pisi. Consistentia ejus normalis erat. In aesophago ulcus inveniebatur magnitudinis fabae marginibus duris elavatis circumdatum.



Theses defendendae.

1. Morbus Brighti in sanguinis errore radicem figit.
2. Chemia pathologica tam utilis et necessaria, quam anatome pathologica.
3. Urina albuminosa est causa, non vero effectus renis granulosi.
4. Thermarum Carolinarum effectus ex principiis constituentibus hucusque cognitis sufficiente modo non explicantur.
5. Concrementa sanguinis polyposa semper inflammationi originem debere (Bouillaud), valde ambiguum.
6. Autophonia Hourmani vix ullius valoris.
7. Scrophulosis et tuberculosis nisi plane iidem, certe sunt processus summe analogi.
8. Nec nomen nec notio inflammationis pathologiae nostrae convenit.
9. Dolor est unicus, semper et ubique nervosus.
10. Die Operation der einseitigen Cataracte wird mit Vortheil bei noch gesundem anderen Auge vorgenommen.
11. Das äussere und innere Gerstenkorn sind zwei verschiedene Krankheitsprozesse.
12. Seutin's Verband ist bei einfachen, queren oder nicht sehr schiefen Beinbrüchen jedem andern vorzuziehen.